



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Directorivm. Servandi Pvblicas, Sacrasqve Processiones,
Sev Svpplicationes, Tam Ordinarias, quae fiunt certis
diebus per annum; quàm extraordinarias, quae varijs ac
publicis Ecclesiae de causis in ...**

Coloniae Agrippinae, 1640

Quibus non liceat dare Ecclesiasticam sepulturam

urn:nbn:de:hbz:466:1-9480

Corpora defunctorum in Ecclesia ponenda sunt pedibus versus altare maius, vel si conduntur in Capellis, ponantur cum pedibus versis ad illarum altaria, quod etiam pro situ & loco fiat in sepulchro. Presbyteri verò habeant caput versus altare.

Nec exequiarum celebratio ultra sex septimanas à die obitus, nisi iustis de causis, per Ordinarium aut Decanum ruralem approbandis, differri debet.

Quod si dictis sex septimanis elapsis hæredes aut consanguinei defuncti, etiam postquam ad hoc à pastore præmoniti, & requisiti fuerint, illas celebrari non curent, Pastoris erit, hanc negligentiam Domino Ordinario, eiusque promotori denunciare.

QVIBVS NON LI- ceat dare Ecclesiasticam sepulturam.

Sacra sepultura nulli conceditur, qui
Smore Christi fidelium se per Sacra-
mentorum susceptionem ad salutarem

F § exitum

exitum non præparauerit: illis tamen, qui inopinata & subita morte hinc auferuntur, exceptis; quibus sacra sepultura concedenda erit, dum modo eos vitam Catholicis hominibus congruam egisse, & Sacrosanctis mysterijs dum uiuerent, in Paschate communicasse, constiterit.

Nullus etiam hæreticus, Iudæus, paganus, excommunicatus, & publicè denunciatus: sacra sepultura est cohonestandus: sicut nec manifestus fænerator, nisi aut de perceptis vsuris satisfecerit, aut de ijs restituendis sufficientem cautionem iuxta iuris dispositionem posuerit.

Arcendi sunt etiam à sepultura sacra, ij qui sana mente ex intentione seipso interemerunt, vel qui in duello occubuerunt deinde Infantes mortui absque Baptismo.

OFFI-